

vertice ^{a)} Nazarei ⁸⁶⁾, id est floridi ⁸⁷⁾, qui revera floridus est et speciosus forma pre filiis regum ^{87a)} terre et tante pulchritudinis, quante fuit Ioseph, in cuius vultu universi et singuli mirabantur.

(15) Hic dominus noster imperator Fridericus est *leo* potentissimus, sicut Salomon dicit de Christo, qui *ad nullius pavet occursum* ⁸⁸⁾, sed omnes figunt ad eius circulum gressus suos. *Leo rugiet: quis est qui non timebit; dominus imperator mandabit: quis non complebit* ⁸⁹⁾? Serviamus ei in timore et exulemus ei cum tremore ⁹⁰⁾, apprehendamus disciplinam eius, que bonis est virga aurea, quam Assuerus ad se venientibus porrigebat ⁹¹⁾, mediocriter malis lignea, qua misericorditer corriguntur, summe malis est virga ferrea, qua tamquam vasa figuli conteruntur ⁹²⁾ et in lutum postmodum rediguntur.

(16) In sanctitate et iusticia est huic domino serviendum ⁹³⁾, quia omnia novit et falli non potest, quia omnia potest, ideo superari non potest, quia ubique eius potencia invenitur et ideo fuge aditus denegatur; si ascendero ad celum, ad summa moncium, illuc est, et si descendero ad infernum ⁹⁴⁾, id est in abditis latitavero, non effugiam manus eius ⁹⁵⁾, iuxta illud poeticum: *An nescis longas regibus esse manus* ⁹⁶⁾?

(17) Ecce advenit dominator dominus ⁹⁷⁾ et regnum in manu eius et potestas et imperium, vocatur utique angelus magni consilii ⁹⁸⁾, rex fortis, princeps pacis ⁹⁹⁾, adhuc videbit et affluet et mirabitur et dilatabitur cor eius, quando conversa fuerit ad eum multitudo maris, id est rebellium, fortitudo gentium venerit ei ¹⁰⁰⁾ in omnibus paritura, et tunc omnia subiciuntur ei et sedebit cunctus eius populus in pulchritudine pacis ¹⁰¹⁾. Et quia secundum verba sapientis imperia et regna per sapientiam gubernantur ¹⁰²⁾, nunc de tertia et ultima particula est tractandum.

a) vertice am Rande nachgetragen statt getilgtem virtute Hs.

⁸⁶⁾ Gen. 49, 26. ⁸⁷⁾ Nazareus wird verschieden interpretiert, doch konnte ich einen Zusammenhang mit floridus nicht finden; wohl aber wird Nazareth als ‚flos‘ gedeutet, vgl. Hieron. De nomin. Hebr. novi Test., PL. 23, 842. ^{87a)} Vgl. Ps. 44, 3. ⁸⁸⁾ Prov. 30, 30. ⁸⁹⁾ Vgl. Amos 3, 8; vgl. oben Anm. 47. ⁹⁰⁾ Ps. 2, 11. ⁹¹⁾ Vgl. Esther 4, 11; 5, 2 ff. ⁹²⁾ Ps. 2, 9. ⁹³⁾ Luc. 1, 74–75. ⁹⁴⁾ Ps. 138, 8; ad (in Vulg.) infernum mehrere Autoren vers. ant. ⁹⁵⁾ Vgl. Sap. 16, 15; Tob. 13, 2; über Allgegenwart des Kaisers vgl. Kantorowicz, a. a. O. S. 94–95. ⁹⁶⁾ Ovid, Ep. 16, 166. ⁹⁷⁾ Isai. 10, 33. ⁹⁸⁾ Isai. 9, 6, vers. ant. (Miss. Rom. ad Introitum 3. Missae Nativ. u. a.) ⁹⁹⁾ Isai. 9, 6. ¹⁰⁰⁾ Isai. 60, 5. ¹⁰¹⁾ Isai. 32, 18; vgl. HB. 107, 31–36. ¹⁰²⁾ Vgl. Sap. 6, 22–23.